





DISSERTATIO
DE TRACALA.




TYPOGRAPHVS CANDIDO LECTORI.

S. P. D.



TEnet plurimos immedicabilis prurigo, ac libido incitatissima scribendi, atque alieno in opere facillimum est ingeniosum videri. Hinc tot Grammatici otio affluentes, & Litteratores eo abusi Scholia inde dicta, & Glossemata, vti colore demendi obscuritatem, & sensa Scriptorum eloquentèr expromendi, totam per Græciam, in Oratores, & Poetas, aliosquè Auctores consarcinarunt. Isti deniq; Glossographi, & Scholiastæ inualu erunt adeò, vt Scholia lucubrationibus Auctorum præcipuorum, ad quas ea scripta fuerant, ampliora, & prolixiora euaderent, perinde ac si quis nobilem pannum, aut exquisitam purpuram prætexuisse varijs limbis, fascijs, & institis non contentus, ipsam illis omnino contegeret, obuelaret, & absconderet; aut instar illius formosæ, cuius membra, vti canit Ouidius,

Auro, gemmisquè teguntur
Omnia, pars minima est ipsa puella sui.

Itaque ista Scholia, & Glossemata non exornabant, sed occultabant, non illustrabant, sed obumbrabant, non explicabant, sed implicabant, & opplebant, ac obruebant Scriptores illos, qui-

bus adhibebantur; necessum igitur fuit illa resecare, vel contrahere,& quemadmodum è Commentarijs in sacros Libros Bibliorum accumulatis apud Theologos, qui Positiui vocantur, & è Glossis in Pandectas, Codicem, Nouellas, quin etiam Institutiones Iuris à Iustiniano Augusto promulgatas congestis, Interpretes Iurisq; Periti cœperunt consuere Catenas recisis tot superuacaneis, & recoctis, ac repetitis, breuesquè, ac interlineares Glossulas,& Scholia exigua seligere; penes Latinos Grammaticos ista Scholia non vsquequaque succreuerant, perinde ac intèr Græcos. Vlpianus in Demosthenem, Didymus, & Eustahtius in Homerum, Bacchius in Hipocratem Erotiano teste ante Galenum, Arsenius Monembasiæ Præsul, & alij in Euripidem, Aristophanem,Apollonium Rhodium,Sophoclē,&c. Nam in Ciceronem Asconius Pædianus vnus erat: in Bucolica, & Georgica Virgilij Iunius Philargyrus scripsit; in Aeneida Seruij, Donatiquè Commentarios, in Odas Horatij Acronis, atque Porphyrij tamquam reliquas è naufragio tabulas vix superstites habemus, in Somnium Scipionis Macrobius se se diffudit vberiùs, Vetus Scholiastes in Iuuenalem superest, & Cornutus Grammaticus in Persium, cuius meminit etiam A. Gellius; cætera in Terentium, & Virgilium, vti Placidi, Hyginiquè, desiderantur.

At auorum nostrorum ætate Philologi, seù Critici (nam id sibi nominis inuidiosissimum adscripserunt, quia non arbitros tantum, sed & iudices se constituunt, atq; Censores) Notas, Adno-

tationes,Collectanea,Obseruationes,Dispunctiones,Animaduersiones,Castigationes,Emendationes, Varias Lectiones,è manuscriptis codicibus, ex antiquis editionibus Expurgationes,imò, & ex ingenio Coniectanea,Enucleationes,Pręcidanea, Subcesiua, Spicilegia,Racemationes,Commentarios,Commentaria, Commenta, & mera somnia sua obtruserunt. Ex aliis Auctoribus Farragines in meliores Auctores, velut Hamaxarij tam latè, tamque copiosè, ac numerosè coaceruarunt, vt illarum moles, & aceruì non solum exęquent,sed etiam longe superent ipsorum Auctorum opera, & mantissa obsonia vincat. *Lucilius* Hodieque Grammaticæ potior pars censeatur Critice,in qua de Tricis, & Apinis Viri Magni existimati, & præcellens ingenium sortiti,plurimæquè lectionis inter se plerumq; rixantur Lauream quærentes in Mustaceo, & quoties nodus dignus vindice incidit, vt eum exsoluant, & pronuncient velut ex Tripode, quid distent æra lupinis; coniecturis indulgent, & diuinare conantur, tantam temporis, & chartæ iacturam facientes, oleum vt plurimum, operamquè perdunt, imò ita immutarunt textus ipsos variè legendo, & interpungendo, vix vt germanus eorum sensus agnosci queat, & mirum sit quid sibi, quantumquè adrogauerint.

Enituerunt in primis velut Hypercriti, & huius Reipublicæ constituendæ Tres viri, Isaacus Casaubonus, & Iosephus Scaliger; ac præsertim Claudius Salmasius, Erasmum Ducem sequuti, & tamquam ex Cortina quicquid in buccam;

quicquid in calamum, quicquid in mentem venerat, illinentes chartæ, & gestientes à furno id redeuntes scire, lacuque. Efferbuerunt huiusce-modi nugis næniisque tandiu præla, nimiumq; inundauit ista litterionum, qui mihi syllabarum aucupes, & vocum cautores videntur, intemperantia, & licentia, nec enim commemorare lubet Dionysium Lambinum, Hadrianum Turnebum, Marcum Antonium Muretum, Paulum, & Aldum Manutios, Gabrielem Faernum, Michaelem Brutum, & alios sexcentos. Ipse Iosephus Maria Suaresius Episcopus Vasionensis lapsus est in communem errorem quasi æui vitio, & motu Raptus circumactus, mihique liberè, ac ingenuè (quo est animi candore præditus) lapsum hunc suum communicauit, quem dum publico, rem ingratam ipsi non facturum me confido, vt posteri, vel eius etiam exemplo discant, quam inanis, quam vana, quam fallax, & lubrica sit hæc audax Critices professio, ac morosa, & anxia disquisitio, & verè inane, atque vanum studium. Simul verò quam cõsequutus est felicitèr è diuturna peruolutatione, ac lectione Codicum integrorum, atque Doctorum virorum ex amicitia constanter exculta, genuinam, & germanam dicterij aduersus Constantinum Maximum Augustum Heroa incomparabilem iactati expositionẽ frustra tentatam abs alijs, & à se ipso patêre omnibus voluit, quod sine fictione didicit, sine inuidia publicè promulgans. Consultus fuerat à Reuerendo Patre Possino per nobilem, & eruditum adolescentem Ioannem Franciscum Alba-

num

num æquimanum in lingua Græca, & in Latina, cuius excelſa indoles fauſtè aſſurgit in ſpem vberrimi prouentus,ab illo,inquam, Poſſino Societatis Ieſu Rhetore diſertiſſimo,& Theologo in paucis præſtantiſſimo, qui Græcum idioma, ſicut Latinum probè callet, vti tot egregijs operibus, & Georgij præcipuè Pachymeris Hiſtoria in lucem edita luculentiſſimè teſtatus eſt, perinde ac ſi Athenis in illo Græciæ florentis acumine natus foret,& illud quidem Operæ pretium Typis, & ſumptibus, ac auſpicijs Eminentiſs. Card. Decani Franciſci Barberini veri ætate noſtra Mœcenatis publici iuris factum Eccleſiæ bono mirantur omnes, & mirabuntur. Conſultus (inquam) fuerat à Petro Poſſino Ioſephus Maria Suareſius ſuper ſcommate, quo appetebatur Optimus Imperator ab Ethnicis, & vulgari Prouerbio Trachala,decem annis præſtantiſſimus, duodecim annis ſequentibus latro, decem nouiſſimis pupillus ob profuſiones immodicas nominatus, ſicuti Sextus Aurelius Victor libro de Cæſaribus, ſeù potius in Excerptis libri de Vita,& moribus Imperatorum Romanorum Sexti Aurelij Victoris Epitomes Auctor refert;vt conſulenti ſatisfaceret, tres epiſtolas dedit, quas ecce cum vnico Poſſini reſponſo,qui tamen accepta tertia ſibi ſatisfactum tandem faſſus eſt, cum in alijs duabus non liqueret, & aqua hæreret,Tu (Lector beneuole) vtere, fruere ſine ſudore; quod exinde in rem tuam beneuertat. Vale.

Reuerende Pater. Zoſimus Chriſtianorum hoſtis *lib.2. noua Hiſtor. f.446.* Conſtantinum Ma- *1. Epiſt.*

 gnum

gnum Imperatorem in homines indignos, ac nullius pretij, qui nulli poterant esse vsui, largum fuisse prodit, ac prodigalitatis arguit pium impius, Christianos Episcopos designans, & Monachos. Iulianus Apostata in Cæsaribus ipsum vti nimis profusum increpat; & Trachalam decennio dictũ ideò Victor tradit, seù Trachalum, quasi alterum Galerium Trachalum, cuius ingenio in rebus vrbanis Othonem Augustum vti credebant, teste *Tacito lib. 1. Histor. pag. 59.* quemquè aduersus criminantes Galeria Vitellij Augusti Vxor protexit apud eumdem *lib. 2. Histor. p. 88.* de qua Suetonius in Vitellio *pag. 164.*, Sonum Trachali celebrat Quintilianus *lib. 10. Institut. Oratoriar. cap. 2.*, præstantem Oratorem in actione commendans Trachalum *lib. 12. c. 5. pag. 720.* Zonaras in Chronico sic explicare videtur, nempe vt sicut Otho luxu perditus erat, & effusus in largitiones, ita Trachalus; id è Tacito liquet *lib. 1. Histor. pag. 386. & 388.* Verùm Constantinus Christi Domini amplexus fidem earum, quibus circumfluebat, opum verum edoctus vsum, eas in pauperes, & in Christi seruos liberalitate religiosâ erogabat, & impendebat in Ecclesiarum fabricas, atque ornatus ad Dei cultum, quasquè Tyranni sæuientes antea facultates eripuerant Christianis, iustissimè illis refundebat. Hinc Zosimi, Iulianique, ac Victoris in Sanctissimum Principem, quem alias etiam Parricidij calumnia liberare sum conatus, contumeliæ, & Sarcasmus, luxuriosiquè nomen Oratoris impositum reor, & hanc quidem meam sententiam in sinum tuum

luben-

lubentèr effundo, qui quo es erga me beneuolo animo, eam æqui, boniq; consules, & calculo tuo cõprobabis. Admonui Clariss. & Eruditiss. Abb. D. Carolum Moronum, vt R. P. Goar in Euchologium Commentarios tibi remitteret, id præstiturum se ille haud ægrè recepit. Tuarum ad Numen precum valida pro me subsidia exposco in hac sacra Sancto Francisco Xauerio die, & vicissim tibi fœlicia comprecor omnia ex animo. Vale, meque redama R. Paternitatis tuæ Studiosissimum, & amantissimum seruum Iosephum Mariam Episcopum Vasionensem. E Cancellario iij. Non. Decembr. MDCLXVI.

Rescripsit Possinus.

Illustrissime, ac Reuerendissimè Domine. Ago quas possum maximas gratias pro eruditissima epistola, quæ me docuit de Trachala, quod petieram; acquiesco qua debeo reuerentiâ auctoritati tantæ, etsi non dissimulo duplicem, qui superest, scrupulum. Primum enim videri cuipiam posset non sat clarè constare de infamia profusionis adeo coniuncta cum nomine Trachali, vt Prouerbio id transferri potuerit ad prodigentiam calumniosè affictam Constantino Magno traducendam, nam locus Taciti de Othone vtente ingenio Trachali in rebus Vrbanis videtur posse non incõmodè sonare. Othonem parum exercitatum in dicendo, vbi opus esset orationes habere ad Senatum, aut Populum, adhibuisse operã summi Oratoris Trachali, à quo formatas Conciones

ipse

ipse pronunciaret; Deindè Sext. Aurel. Victor nō videtur indicare Constantinū dictum Trachalam propter profusionem, sic enim erit irrisor potius quam blandus, vnde Prouerbio vulgari. Trachala &c. Hactenus ille, quibus in verbis, & illud mouet, quod Trachala minus quam vellem manifestè conuenit, cum Trachalo vero nomine illius Galerij Oratoris Quintiliano, & Tacito laudati, nec timidè proposui ratus non ingratam fore Illustrissimæ Dominationi tuæ fiduciam tibi Illustriss. ac Reuerendiss. Domine deditissimi, addictissimiquè in Christo Iesu Clientuli Petri Possini, e Societate Iesu, è Domo Professa Romana S. I. prid. Non Decembr. MDCLXVI.

Iosephus Maria subiecit.

Episto. Reu. Pater. Quando prior illa coniectura de Trachalo tibi non arrisit, en alias. Diuinationes Trachalā Græculi forsitan Cōstantinū Magnū Imperij sui decennio altero, veluti Τρήχοντα, id est exasperatum (Τρηχαλέως enim asperum significat, atq; crudelem, vti loquitur Epigrammatographus *lib.* 4., appellarunt, quia Constantinus sæuijt in suos etiam affectus, Crispum scilicet è Mineruina prima vxore susceptum filium, & Faustam, quam superinduxerat, Coniugem; hanc etenim mandauit in balneo igne succenso ardētiùs extingui anno Principatus vigesimo; illū anno decimonono iussit in gemmeo poculo necari veneni frigore, vt ex Ablabij Sillophaleucio constat apud Sidonium Apollinarem *lib.* 5. *Epist.* 8. & ipse narro in Constantini Vindicijs. H. vertitur in A. in Τραχαλέως, nam Τράχυς asper dicitur;

vel

vel alludendo ad Sedem Imperij,quam Constantinus Bizantij collocauit in Vrbe Thraciæ ad mare sita à se reædificata,& appellata quasi Θρᾴξ ἅλα,id est Thrax,mare accolens dictus fuit,tuncque scribendum Thracala.siquæ Regio profectò Thracia est aspera, prærupti,& excelsi assurgunt inibi montes, quorum præcipuos isto versu comprehendebam olim. Ismarus, Orbelus, Rhodope, Pangæus,& Aemus:ventiquè vehementiores, in hac situum inæqualitate, aërisque agitatione oriuntur, & perflant;vnde ab hac asperitate,mutato T. in Θ. & K. supposito pro X.nomen Thracia videtur sortita,diciturqe domicilium,& patria ventorum,præsertim Thrasciæ,qui Aristoteli Θρασκίας. teste Plinio *lib.2.cap.47*.potest etiam esse militaris clamor, Thrax alala; erant enim Thraces equites leuioris armaturæ. Hinc Sappij extat Vasione Inscriptio, quę memorat eũ fuisse Præfectum alæ Thracum Herculaniæ,consulendus Iustus Lipsius.Αλαλὰ apud Homerum,& Aristophanis Scholiastem,ac Suidam erat acclamatio militum, sicut ἐλελεῦ in properatione. Trachali appellantur muricum,ac purpuræ superiores partes, vnde Ariminenses maritimi cognomen traxerunt penes Festum, quia pungunt asperiùs, Constantinus autem punxit, & sustulit suos,sicuti iam recensui,ideoque Trachalus nuncupatus est. Huc vergebāt Elias Vinetus,& Fridericus Sylburgius. Verùm inclinat, propendetquè animus ad priorem sententiam in primo Epistolio prolatā: Sic a Salacone Autolyci Patre, qui mollis erat, atque luxui deditus apud Aristotelem *lib.2.Rhetoric.*

toric. Theophrastum, Hesychium, & Aristophanẽ, eiusque Scholiastem, molles omnes vocitati fuere. sic Selli dicuntur omnes Iactatores à Sello quodam, qui cum pauper esset, diues haberi studebat, è *Suida*, & eodem Aristophanis Scholiorum Auctore in Auibus, sic eidẽ Pandeletius est versutus, & improbus à quodam Pandeleto Psephismatum Scriptore, qui asturus insignitèr è pauperum deceptione ditescebat. Sic Sarabon, qui Athenis cauponam exercebat, è Dione Prusiæo *orat.* 4. *pag.* 75. Dario cognomentum dedit, qui caupo, auarùsque audiebat apud Persas, Sarambũ nominat Iulianus Apostata *orat.* 2. *p.* 158: Sed manum de tabula, perducit me amor, qui garrula res est, ad hoc alterũ foliũ. Ignosce quæso, & ex his secundis curis, si quasi putidam, & accersitã priorẽ opinionẽ auersaris, delige quãm alueris, acri tuo iudicio; sin tibi sapit nulla, vt est tibi emuncta naris, & delicatus gustus, condona saltem, suscepi namque huius acerbæ cauillationis explicationem, exigente te, mèque redamare ne desine. Reuerendæ Paternitatis Tuæ studiosissimum &c. Idibus Decembr. MDCLXVI.

Iosephus Maria subiunxit.

Epistol. Reuerende Pater. Nimium diù Pyraustæ instar circùm Trachalæ nomen volitaui, nunc è manuscripto Codice Breuiarij Sexti Rufi, qui asseruabatur in Bibliotheca Eminentissimi Card. Marquamontij, seù Marcomontij; fragmentũ, quod in omnibus, qui Typis hactenus editi fuerũt, desideratur,

ratur, nec ſat ſcio an in alijs exaratis calamo reperiatur, profero ; ad Eminentiſsimum Cardinalem Sacri Collegij Decanum Franciſcum Barberinum nunquam ſatis laudatum tranſmiſerat illud vir Illuſtriſſimus bono Reipublicæ litterariæ natus Nicolaus Fabricius Peyreſcius,& mihi ante annos triginta direxerat,latebâtque in Bibliotheca inſtructiſſima tam docti Principis, & opportunè mihi alia perquirenti venit in manus; Certè locus ille Sexti Aurelij Victoris ab iſto fragmento Sexti Rufi ſplendidiſſimam lucem accipit. En illud Sexti Rufi. L. Craſſus Quæſtor Craſſi reliquias collegit exercitus, contra Perſas in Syriam irrumpens ter cum ſumma adminiſtratione conflixit. Eoſque trans Eufratem redactos vaſtauit [Pamphyliam tunc obtinebat Tracala Proconſul ad bellum Epirotarum miſſus, ditiſſimum, fortiſſimumque ducem prioribus decem annis inuenies; duodecim continuis perditiſſimum graſſatorem,decem nouiſſimis ob immenſa donaria Pupillum nequiſſimum,atq; ita ludibrio habitum,vt deſperatione rerum ſuarum, venenũ hauſerit, cum tendere in Cariam paratus ſucceſſorem accepiſſet] Parthi Labieno Duce,&c. Cõparabant ergo Conſtantinum Magnum maledici,& Satyrici Ethnici,vulguſq; imperitum Trachalæ illi, qui cum non ſit notus, niſi ex hoc fragmento, varijs tribuit anſam ariolandi, & inprimis mihi,qui tandem ſtatuo nihil aliunde mutuandum, nec quidquam amplius anquirendum; Itaque ſimul ac inueni Schedam illam, cenſui ad te mittendam, ne diutiùs de voce illa Trachalæ labo-

An adm rationei

Quæ cla duntur p rentheſib Hæc ſu in volun ne M. Card. M quamon

laborares, vtque me attigisse scopum aliquatenus in primo teli iactu agnosceres; Quamuis enim Trachalum illum Oratorem proponerem, nec in memoriam confestim reuocassem fragmẽtum illud Rufi de Tracala, tamen nomen illud proprium esse dispexeram, & adscriptum Constantino alicuius alterius cõparatione arbitratus eram. Vel hinc agnosce quęso meum in te animum effusum, propensumque, nec enim quidquam suum æstimat, quod non sit tuum pro iure communis amicitiæ. Sic Mercurius communis. Vale 6. Kal. Ianuarias MDCLXVII.

Ex his igitur epistolis colligere facile est quã vana, quamque fallacia sint studia Grammaticorum, Criticorum nempe, nec Antistes ille veretur, neque dedecori sibi putat fore, cum errores isti sui vagi pandentur, in quos incidit, dum illa affectauit; modo alij cautiores, deinceps, qui litteris imcumbunt, & Classicos Scriptores euoluunt, veluti nautæ periculis alienis sapiant, & hæc Acroceraunia, vel infames scopulos, quasi Maleæ saxa prudentèr euitent. Probè verò scit Pharum Theologiæ Christianæ, sacrorumque Patrum decus eximium Augustinum operibus omnibus suis tam Confessionum, quam Retractationum libros antepofuisse; licèt prætereà hiatum sarcire, qui patet in Sexto Rufo, & Sexti Aurelij Victoris locum eleganter, atque luculentèr explanare Vale.

Imprimatur.

Si videbitur Reuerendiss. Patr. Mag. Sac. Pal. Apostolici.

M. Episcopus Arimini Vicesg.

Imprimatur.

Fr. Hyacinthus Libellus Sac. Pal. Apost. Mag.